

*Monumenta Boica: Edidit Academia scientiarum Boica
By Bayerische Akademie der Wissenschaften
1767
MB VIII*

*MONUMENTA SCHEFTLARIENSIA.
CODEX TRADITIONUM.*

Corrected OCR text found at Google Book Search
<http://books.google.com/books?id=v2EKAAAAIAAJ&pg=PA363>
[?] Uncertain reading.
/363/ page number

The numbers in this edition from 1767 does not correspond to the numbers in the modern edition of the charters of Schäftlarn. Die Traditionen des Klosters Schäftlarn 760-1305. Weißthanner, Alois (bearb.), München 1933.

by Johan Åhlfeldt.

2007-10-02

Find more online merovingian and carolingian primary sources at <http://www.francia.ahlfeldt.se>

363

MONUMENTA SCHEFTLARIENSIA.
CODEX TRADITIONUM.
INCIPIT LIBER CONTINENT
DELEGATIONES.

Num. I. Carta foundationis. Anno 762.

Domino nostro Iesu Christo protegente & adiuvante: Ego indignus Presbyter Waltrich cogitans cogitavi pro remedio anime mee, cum licentia illustrissimi Ducis Bavariorum, Tassilonis, in propria hereditate mea cepi edificare Ecclesiam Dei in loco Peipinpach, villa nuncupata Sceftilari, prope fluvium Isure. Ipsa enim edificata Ecclesia, quam ego ipse manibus meis fundavi, advocavi Iosephum Episcopum, ut ipsam dedicaret Ecclesiam. Adveniente venerabili Episcopo, interrogabat me coram omnibus coheredibus meis, si aliquis eorum mihi hoc contradicere voluisset. peragendum, vel quomodo eam hereditare voluissem. Parentibus enim meis pari devotione consentientibus, addidi etiam alias duas Ecclesias ad Dihiningas & ad Ehapaldingas, & me ipsum, & quicquid habui ad ipsam Ecclesiam tradidi & firmiter in omnibus confirmavi. Dedicata autem Ecclesia accessi, & per funis signo tradidi eam in manus Iosephi Episcopi, ut in evum permansisset ad domum sancte Marie ad Frisingas, ut nos & fratres nostri ibidem habuissemus caput & tuitionem capituli. Ipsum autem oratorium est in honore sancti Dyonisii in Kalendis Novembris; Et statui tam pro me quam pro parentibus meis & coheredibus, ut pro remedio

*animarum nostrarum ibidem perpetualiter permansisset
/364/ cum omnibus acquisitionibus meis, cum mancipiis,
& pecoribus & edificiis, pecuniis, terris, silvis, cultis &
incultis, ruris, pratis, pascuis, aquis, aquarumque
decursibus omnia in omnibus firmiter tradidi &
confirmavi ad prenotatam domum Dei: regnante
Domino & illustrissimo Duce nostro Tassilone anno XV.
Ind. XV. Isti sunt Testes Atto, frater eius Pippi, Alprich,
Cundhart, Reginhart, Madalker, Isenker, Meio
Erchanolf, Oadalker, Adalgart, Starcholf, Toto, Altolf,
Deotmar, Fritilo, Heimker, Herideo, Urso, Sundarhere,
Egino, Altrich, Oasrich, Sicco, Richbald, Deotmar,
Perhtold, Icho, Ezzilo, Fricho.*

Num. II. Anno 773.

Beatissimo Dyonisio ego Selprich tradidi totum quod habui in Munigisingen, cum mansis, pratis, silvis, pomiferis, mancipiis, peccoribus, utensilia omnia, vel quodcunque ad me pertinere potuit, ut ibi sit firmiter traditum in perpetuum. Actum est in loco qui dicitur Sceftlare, regnante Domino Imperatore Karolo, anno quinto regni eius in Francia. Isti sunt Testes Richolf Presbyter, Malpreht Presbyter, Erfuni Presbyter, Reicho Presbyter, Pipi, Perchtolt, Adalram.

Num. III. Anno 776.

In nomine Domini Dei salvatoris nostri Iesu Christi. Temporibus gloriosissimi Ducis Tassilonis anno ducatus eius vicesimo nono, indictione XIV, Ego itaque Atto simulque filius meus Ammo, pro redemptione anime nostre, cum consensu & licentia summi Principis Tassilonis, tradidi ego Atto & filius meus Ammo que nobis in partem contigerunt, quando divisimus cum Albrico filio meo omnia, que nobis contigerunt in partem, id est mihi & filio meo Amoni, seu de hereditate nostra sive acquisitione nostra, id est ad Pubenhusen & ad Paierbrunen, seu in aliis locis, /365/ ubi aliquid habere videremur servos & ancillas, colonos seu tributales, rura, & prata, campos & silvas, aquas aquarumque decursus, mobile & immobile, cultum & incultum, omnia ex integro tradidimus ad Ecclesiam beati Dyonisii, que constructa est iuxta fluvium Isure, ubi villa nuncupatur, Sceftlare, ubi preerat reverendissimus Waldericus Episcopus; ut ab hodierna die ibi sit traditum & firmiter stabilitum: Ita tamen, ut hec omnia que prediximus, ut supra continetur, ad predictam Ecclesiam traditi sint. Si quis autem opposita vel ulla obmissa persona, sive ego ipse, quod contingere non arbitror, hec irrita facere conatus fuerit, iram Dei omnipotentis super se provocet, & partem habeat cum Iuda traditore & causam cum beato Dyonisio, & cartula hec nihilominus firma permaneat, & hi Testes; Pippi, Cundhart, Adalgart, Dedalgar, Stracholf, Erchanolf: scripsi autem ego Snelhart indignus

*ac vilis, tamen Diaconus, hanc cartulam traditionis iussus
a summo Principe, consentiens & perficiens.*

Num. IV. Anno 776.

In nomine Domini Dei salvatoris nostri Iesu Christi, Ego Tassilo illustrissimus Dux, anno ducatus mei XX. nono, indict. XIV. Trado atque confirmo pro redemptione anime mee, omnia que habuit Hatto ad Hesinloch, & omnia, que ad ipsam villam pertinent, cultum & incultum, prata, silvas, aquarumque decursus, totum ex integro trado ad Ecclesiam sancti Dyonisii, que sita est iuxta fluenta Isure, ubi preest religiosus vir Waltrich Episcopus, ut ibi sit firmum nullo contradicente, Actum est in villa nuncupante Aitterache.

Num. V. Anno 776.

In nomine Domini Dei salvatoris nostri Iesu Christi, temporibus gloriosissimi Ducis Tassilonis, an. ducatus eius XX. nono, ind. XIV. /366/ Ego Wolfleoz & filius meus Richker tradidimus omnia, que habuimus in villa noncupante Wanienhusen, id est Ecclesiam unam com domo, com aliis edificiis, in mancipiis, campis, & silvis, pratis & pascuis, atque in aquis, cultum & incultum : simulque ego Droant Presbyter tradidi omnia, que ad me pertinebant in hereditate, seu in tenditione, sive in aliis acquisitionibus in mancipiis, quorum nomina sunt Tuto, Werinfrid, Gundbald, Racher, Hadepirch, Heriswind, Palswind, omnia et integro tradidimus ad altare sancti Dyonisii, ut ibi sit stabilitatum, pro redemptione animarum nostrarum. Isti sunt Testes: Pippi, Cundhart, Hitto, Adelgart, Toto, Adelger, Erchanolf, Pazrich, Perthold, Ofuni [??], Gotefrid.

Num. VI. Anno 778.

*In nomine Domini salvatoris nostri Iesu Christi. Ego
Ranthere, temporibus gloriosissimi Ducis Tassilonis, trado
atque confirmo ea que habui in loco nuncupante
Chumiztorf, servos, & ancillas seu tributales, rura, prata,
campos, silvas, aquarumque decursus, mobile & immobile,
cultum & iucultum, omnia ex integro trado sancto
Dyonisio & episcopo Waltricho & omni congregationi
sue, ut ibi sit firmum & stabilitum. H. t. s. Pipi, Albrich,
Gundhard, Einhart, Ezzilo, Urseo, Waltman, Sigewokh
[??] Waldram, Sintpreht, Orthere.*

Num. VII. Anno 779.

In nomine Domini Dei salvatoris Iesu Christi.

Temporibus gloriosissimi Ducis Tassilonis, anno ducatus eius XXXII. indict. II. cum consensu & licentia predicti Principis ego Altolf trado atque confirmo ea que habui in loco nuncupante Riuttare, servos & ancillas seu tributales, rura, prata, campos, & silvas, aquarumque decursus, mobile & immobile, cultum & incultum, omnia ex integro trado ad Ecclesiam sancti Dyonisii in manus Waltrici /367/ Episcopi. Isti sunt Testes: Meio, Wolfloz, Lantfrid, Icho, Toto, Reginhart.

Num. VIII, circa Ann. 780.

Dum & omnibus non est incognitum, sed plurimis ponitur noticia, qualiter venerabilis vir Albune Presbyter propriam hereditatem suam tradidit nepoti suo Angilfrido, quando illum tonsuravit, temporibus gloriosissimi Ducis Tassilonis. Post multum vero temporis iam eo cogitante prefato Presbytero de diversis causis huius seculi, seu de caducis rebus transitoriis, nisi qui tantum propter amorem Dei largitate bona Deo donaverit, & ad domini Dei tradiderit, in penale iudicium, Deum contemnens, inciderit. Quapropter prefatus Presbyter, atque nepos eius Engilfrid Presbyter donaverunt atque tradiderunt omnia, que habuerunt, ad Monasterium sancti Dyonisii propter amorem Dei, donatumque in perpetuum permanere voluerunt: hoc est in villa nuncupata Reginprehteshusen, quicquid genitores illorum Werinpreht & Reginpreht ipsis Presbyteris reliquerunt : hoc est, Ecclesiam cum domo, simulque alias omnes edificationes ad eam pertinentes, servos & ancillas seu tributales, rura, prata, campos & silvas, aquarumque decursus, mobile & immobile, cultum & incultum omnia ex integro tradiderunt ad altare sancti Dyonisii pro eterna retributione, ut ibidem perpetualiter permansisset. H. t. s. Pippi, Reginhart, Amalrich, Kagenhart, Hitto, Gundhart, Erchnolf, Adelhart, Wolfpreht, Perhtolt, Odolt.

Num. IX. Anno 785.

*In nomine Domine Dei salvatoris nostri Iesu Christi.
Temporibus gloriosissimi Ducis Tassilonis, anno ducatus
eius XXXVIII, indict. VIII, cum consensu & licentia
predicti Principis; ego Baganza tradidi atque confirmavi
omnia, que habui in loco nuncupante /368/ Perchach,
casas, servos, ancillas seu tributales, rura, prata, campos
& silvas, aquarumque decursus, mobile & immobile,
culturo & incultura, omnia ex integro tradidi ad
Ecclesiam beati Valentini : & ipsam Ecclesiam , & omnia
que ad eam pertinebant, tradidi ad Monasterium sancti
Dyonisii, quod est constructum prope fluvium qui dicitur
Isura, ut ibi sit firmum atque stabilitum in perpetuum.
H. s. t. Meginhart, Albuno, Amo, Amalpreht, Irminfrid,
Reicho, Atto, Cundhart, Albrich, Reginhart, Einhart.*

Num. X. Anno 790.

*Ego Sunderhere ad Ecclesiam sancti Dyonisii unam
silvam, que ad Pouch ad me pertinebat trado, ut ibi sit
stabilita pro redemptione anime mee. H. s. t. Gotefrid,
Albrich, Gotebreht, Reginbreht, Wolfpreht, Albof,
Orendil, Ratperht, hoc actum est VII. idus Octobris in
dedications Ecclesie, in presentia Ichonis Abbatis, &
defensoris Iacobi.*

Num. XI. Anno 800.

*Temporibus gloriosissimi Imperatoris Karoli, ego
Lantfrid cogitavi primum ob Dei timorem, seu pro
peccatis meis minuendis, tradidi omnia, que ad
Ursinhusen habere visus fui, ad Ecclesiam sancti Dyonisii:
casas cum curtifero, rura, & prata, campos & silvas,
aquarumque decursus, mobile & immobile, cultum &
incultum, totumque ex integro tradidi, ut ibi sit
stabilitum usque in sempiternum. H. s. t. Meginhart,
Cundhart, Toto, Reginpreht, Milo, Herrich.*

Num. XII. Anno 806.

Sacrosancto Monasterio sancti Dyonisii, quod est constructum in Regno Francorum, in Ducatu Baioariorum super fluvium /369/ qui dicitur Isura, ubi venerabilis vir Petto Episcopus seu Abbas ad regendum preesse videtur; Ego ipse Petto Episcopus & Abbas cogito primum ob Dei timorem, seu pro peccatis meis minuendis, atque pro eterna retributione, dono ad ipsam Ecclesiam sancti Dyonisii a die presente, donatumque in perpetuum esse volo, hoc est res proprietatis mee in villa, que dicitur Hachinga, & mancipia, his nominibus: Wenilo, & Adelswind, cum infantibus eorum Othelm, Adelhelm, Hleokelt, Gozlind & alia mancipia, Liubrat, Heribirck, Drutflat, Otmunt, cum infantibus suis, vel quicquid de genitore meo ad me pervenit, tam mansis, campis, pratis, silvis, pomiferis, aquis aquarumque decursibus exitibus & regressibus, cultum & incultum, omnia in omnibus totumque integrum. Similiter dono in ipsa villa Hachinga quicquid de Helfricho comparavi, mancipiis & mansis, campis, pratis, silvis, pomiferis, aquis aquarumque decursibus, exitibus & regressibus, cultum & incultum, omnia in omnibus totumque integrum. Similiter dono & in villa, que dicitur Poubach, quicquid de Folckero & filio suo Milone comparavi, tam mansis, campis, pratis, silvis, pomiferis, aquis aquarumque decursibus, exitibus & regressibus, cultum & incultum, omnia in omnibus, vel de quocunque ingenio ad me pervenit & pervenire poterit, ad integrum, ut quicquid exinde agentes sancto Dyonisio facere voluerint, in eorum

maneat potestare, nulloque contradicente. Si quis aut ego, quod fieri non arbitrer, aut aliquis de heredibus vel coheredibus meis, seu quelibet ulla opposita persona, que contra hanc donationem, quam ego plenissima voluntate scribere postulavi, venire temptaverit, ne hoc valeat evindicare aut prepedire ubi donatum est, sed hec donatio in perpetuum firma permaneat; acta est in Monasterio S. Dyonisii sub oppido ville, que nuncupatur Sceftilari publice, Isti s. t. Orendil Comes, Erchenolf, Helfrich, Heribreht, Albrich. Altolf. In Dei nomine, ego Petto /370/ Episcopus hanc donationem a me factam relegi, & subscripsi, Actum in loco, qui dicitur Skeftlare, mense Aug. VI. idus Aug. anno VI. Imperii Domini nostri Caroli Magni Imperatoris & Regni eius in Francia XXXVIII.

Num. XIII. Anno 806.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Temporibus gloriosissimi Imperatoris Francorum & Langobardorum Caroli patricii Romanorum, trado ego Williburch, pro remedio anime mee, atque confirmo quicquid habui in loco nuncupante Walchsteti, servos & ancillas quorum nomina sunt, Anthelm, Ruodrich, Meginhilt, Egina, Walhin, Liudswind, Heriswind, nec non in edificiis duas casas, rura & prata, campos & silvas, & agros totos, aquas aquarumque decursus, mobile & immobile, cultum & incultum, omnia ex integro trado ad Ecclesiam sancti Dyonisii, pro redemptione animarum nostrarum, quod Helmrich maritus meus mihi in partem dedit. Et dedit mihi, & filie mee Swidburge, Petto Episcopus pecuniam sancti Dyonisii in mancipiis quorum nomina sunt, Deotni, & filia eius Sigiburch, & aliam peccuniam III. caballos, & in auro fabricato duos aringos, & unam spanam, & unam tunicam de ferico atque in aliis rebus multis, quod mihi bene placuit : ut ista traditio firma fieret, atque stabilitum ad sanctum Dyonisium. Si quis, aut ego, quod fieri non arbitror, aut aliquis de heredibus meis, seu quelibet ulla opposita persona, que contra hanc donationem, quam ego plenissima voluntate scribere postulavi, venire temptaverit, ne hoc valeat evindicare, aut prepedire, ubi donatum est, sed hec donatio in perpetuum firma permaneat ; acta est in Monasterio sancti Dyonisii sub oppido ville, que nuncupatur Sceftlare publice. Isti sunt testes veri Amalrich, Cundhard Heypo,

*Herio, Altolf, Albrich , Deotbald, & ista ???ditio fuit facta
in III. Kal. Octob. in presentia Pettonis Episcopi.*

/371/

Num. XIV. Anno 806.

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Temporibus gloriosissimi Imperatoris Caroli Regis Francorum & Longabardorum ac patricii Romanorum , ego Swidburg trado atque confirmo ea , que habui in loco nuncupante Walchsteti & ad Rotinpach , & ad Chumizdorf, & dimidiam partem ipsius montis, qui vocatur Helmrichesteti , atque duos fontes nominatos Luithahes & Chaltinprunnen, servos & ancillas, id est Wolheri, Tunica, Ita, Deotswind, Ellanhoch , rura & prata , & agros totos , campos & silvas aquarumque decursus, mobile & immobile, cultum & incultum, omnia in omnibus totumque in integrum, sic trado ad Ecclesiam sancti Dyonisii, ut in evum permaneant, pro redemptione animarum nostrarum. Et dedit mihi & matri mee Williburge, Petto Episcopus pecuniam sancti Dyonisii in mancipiis , quorum nomina sunt , Deotni , & filia eius Sigeburk , & aliam pecuniam III. caballos, duos oringos aureos, & unam spanam auream, unam Tunicam de ferico, & in aliis rebus multum, quod mihi bene placuit: ut ista traditio firma & stabilita fieret , ad domum sancti Dyonisii in perpetuum. Si quis aut ego, quod fieri non arbitror, aut aliquis de heredibus meis, vel quelibet ulla opposita persona, que contra hanc donationem , quam ego plenissima voluntate scribere postulavi, venire temptaverit, ne hoc valeat evindicare , aut prepedire, ubi donatum est, sed hec donatio in perpetuum firma permanent. Isti sunt testes viri Lantfrid, Gozbreht, Deotpald, Altolf, Herideo,

*Amalrich, Herio, Heypo; & ista traditio facta est in IV.
Kal. Octobr. in presentia Pettonis Episcopi.*

Num. XV. Anno 806.

*Ne labentis temporis vetustate & presentium hominum
decessione oblivioni tradatur, scriptis in perpetuum notum
esse /372/ cupio, qualiter ego Adelbertus Presbyter, pro
redemptione anime mee & parentum meorum, predium,
quod habui in villa Scheftlaren nuncupata, ad altare sancti
Dionisii trado post vitam filii mei Berhtolti illo
serviendum: ea videlicet conditione, ut dimidia houb
Outenhusen predicti patroni nostri Dionisii mihi usque in
mortem meam deserviat: huius rei testes sunt Volchart,
Penno, Wezel, & de familia Pertold filius meus,
Waltman, Wichman, Bernhart, Richilo, Fridiger.*

Num. XVI. Ann. 806.

Sacrosancto Monasterio sancti Dyonisii, quod est constructum in Regno Francorum in Ducatu Bawariorum, super fluvium qui dicitur Isura, ubi venerabilis vir Petto Episcopus seu Abbas ad regendum preesse videtur: Ego Archanolf cogito ob Dei timorem, aut pro peccatis meis minuendis, & pro eterna retributione dono ad ipsum Ecclesiam sancti Dyonisii, donatumque in perpetuum esse volo, hoc est propriam hereditatem meam, atque alia omnis mea substantia, que habui in villa Walchstetin, simulque in aliis locis, id est ad Dichingen, atque ad Ikkingen, simulque ad Hohenrain cum mancipiis, quorum nomina sunt Ratmar, Deotbirc &c. Similiter dono in aliis acquisitionibus meis in ruris & pratis, in campis & silvis, atque in pomiferis & in aquis, mobile & immobile, cultum & incultum, omnia trado ad Ecclesiam sancti Dyonisii, ut ibi sit firmatum & stabilitum, ut quicquid exinde agentes sancto Dyonisii in eorum maneat potestate, ut faciant, quicquid illis placitum est. Siquis, aut ego, quod nunquam contigit, aut aliquis de heredibus meis & quelibet ulla opposita persona, que contra hanc donationem, quam ego plenissima voluntate scribere postulavi, venire temptaverit, ne hoc valeat evindicare aut prepedire ubi donatum est, sed hec donatio in perpetuum firma permaneat, isti sunt testes veri: Altine [?], /373/ Welti, Irminhere, Sigehart, Wolfbreht, Toso, Cutadeo, Starcholf, Altolf, Pazrich, Rodlant, Adelger, Adelgart.

Num. XVII. Ann. 806.

Ad sanctum ac sacrum Monasterium sancti ac beatissimi Dyonisii Episcopi, quod est constructum super fluvium qui dicitur Isura, in loco nuncupante Peipinpach, ego Herick, simulque filius meus Walther tradidimus omnia, que habuimus in loco nuncupante Ichingen, parentibus meis nostris pari devotione consentientibus, nullisque contradicentibus ullo modo. In primis tradidimus nos ipsos in servos, ac deinceps nostram hereditatem, & omnia que in proprio habuimus, in agris & in pratis, in aquis & in campis, atque in pascuis, cultum & incultum, & ipsam silvam, que ad nos pertinet de fonte Luithades usque ad montem Othramni, sic firmiter atque stabiliter tradidimus sancto Dyonisio, ut nullus de heredibus nostris contra hanc donationem, quam plenissima voluntate postulavimus, nullam irritationem de ea loqui presumat. Sed si hoc fecerit, iram Dei omnipotentis super se provocet, & partem habeat cum Juda traditore, & ab omni gaudio in regno Dei alienus existat, atque firma sit in perpetuum ipsa traditio. Actum est in loco Peipinbach, mense Martio III. Kal. Apr. anno VI. Imperii Domini nostri Karoli indict. VIII. Isti sunt testes veri: Scrot, Meginharts, Lantpreht, Hiltrich, Cundkart, Enno, Uuldrich, Starcholf, Irminheri, Gotopert, Othram, Rihpert, Hahmunt, Perthold, Ercknolf, Roudlant, Fridhere, Gotadeo, Ihho, Abbas Petto Episcopus.

Num. XVIII. Ann. 806.

In Christi nomine, sacrosancto Monasterio sancti Dyonisii, qui est constructus in ducatu Baiowariorum, in ripa fluvii qui dicitur Isura, ubi Petto Abba ad regendum preesse videtur, ego /374/ Aduni cogitans casum fragilitatis mee, vel pro remedio anime mee, maxime cum veritas dicat, thesaurizate vobis thesauros in celo: hanc vocem ego audiens, imitare defiderans, amore divinitatis conpunctus trado a die presente, atque transfundo pro redemptione anime mee, medietatem hereditatis mee, quicquid habere videor in loco nuncupante Sentilinga, mansis, pratis, silvis, campis, pomiferis, aquis, aquarumque decursibus, egressibus & regressibus, mobile & immobile, cultum vel incultum, omnia ex integro, ita, ut iam dixi, a die presente trado de jure meo, in jure dominationis agentis ipse Ecclesie sancti Dyonisii medietatem in omnibus. Si ego, quod fieri non credo, aut aliquis de heredibus coheredibusque meis, aut quislibet ulla opposita persona, qui contra hanc traditionem, quam ego plenissima voluntate peregi & conscribere rogavi, temptare conaverit, ne hoc valeat evindicare, sed iram Dei omnipotentis incurrat, & cum Athleta Christi mereat rationem habere ante conspectu omnium sanctorum, & hec traditio firma permaneat. Acta in Monasterio sancti Dyonisii sub oppido villa nuncupante Sceftilari. Et hi Testes per aures tracti: Oaspald presbyter, Oasum, Cundalperht, Ezzilo, Oadalrich, Richperht, Madalker.

Num. XIX. Ann. 810.

Sacrosancto Monasterio sancti Dyonisii, quod est constructum super fluvium qui dicitur Isura, ubi Petto Episcopus peesse videtur, ego Eliwart Diaconus cogitavi primum ob Dei timorem seu pro peccatis meis minuendis, & pro eterna retributione tradidi ad Ecclesiam sancti Dyonisii omnia, que habui ad Pouchslagen, casas, rura, prata, campos, & silvas, aquarumque decursus, mobile & immobile, cultum & incultum omnia ex integro, ut ibi sit firmum & stabilitum, Isti sunt testes: Pippi Comes, Chunrad /375/ Comes, Amalrich, Erchnolf, Kagenhart, Othram, Actum est in Non. Decemb.

Num. XX. Ann. 813.

Notitia sit, quod emebat Petto Episcopus a Richolfo propriam hereditatem suam, & quicquid ad Pubinhusen habere visus est id est in terris, pratis, campis, silvis, aquarumque decursibus, mobile & immobile, cultum & incultum, & dedit ei Episcopo pecuniam sancti Dyonisii, duos caballos, duos boves, duas vaccas, & post ipsum venditionem venerunt Richolf, & filius eius Starcholf, & Adalpreht, & tradiderunt ipsam hereditatem in altare sancti Dyonisii pro redemptione animarum ipsorum. Isti sunt testes: Sigma, Willepato, Luitker, Altolf, Heipo, Fritilo, Albrich, Heribreht, Pabo, Einhart, Teut, Gotefrid, Immo Diaconus, Meginhart, actum est Domino Imperatore Karolo regnante anno XLV.

Num. XXI. Ann. 820.

*Ego Odalker tradidi atque confirmavi omnia, que habui
in loco nuncupante Walchstete, ad Ecclesiam sancti
Dyonisii, que constructa est in loco nuncupante
Peipinpach, unum servum nomine Sigimunt, & uxorem
suam nomine Richswind, cum casa, cum terra, cum
campis, silvis, pratis, pomariis, omnia ex omnibus ad
integrum. I. s. t. Adalhart, Albrich, Orthere, Lantperth,
Helfrich, Hunrich, Rantwiz, Liuther.*

Num. XXII. Ann. 822.

Ad sacrosanctum Monasterium, quod est constructum in loco nuncupante Peipinbach, ego Genia tradidi omnia, que habui in villa nuncupata Walchstete, ad Altare sancti Dyonisi, coram presenti marito meo Erchenolfo, hoc est in casis & in curtiferis, atque in campis & in silvis, in ruris, in pratis, pascuis, cultis & /376/ incultis, in mancipiis, quorum nomina sunt : Richart, Richfrid, Unimar, Eberhart, Ercknold, Bliumunt, Cundbric, Deothett, Adelhart, actum est in Kal. Februar, indict. XII. regnante Ludewico Imperatore anno VIII. I. s. t. Hitto Episcopus, Ellanpreht Comes, Luttprant, Situli, Motheri, Heric, Drudolt, Willepato, Orendil, Walcho, Petto, Waldker, Heipo.

Num. XXIII. Anno 825.

In nomine Domini salvatoris nostri Iesu Christi. Ego Swidkerus clericus statui in animo meo, ut offerrem Deo propriam hereditatem meam, quam mihi Dominus concedere dignatus est, quando divisimus ego & frater meus Erchanolf, omnem substantiam meam, cum mancipiis seu acquisitu meo, trado atque confirmo ad reliquias sancti Dyonisii rura & prata, campos & silvas, aquarumque decursus, mobile & immobile, cultum vel incultum omnia ex integro trado ad Ecclesiam sancti Dyonisii, que constructa est in loco nuncupante Peipinpach. I. s. t. Adalker, Lantpreht, Oudalrich, Willehelm, Albrich, Erchanolf frater meus.

Num. XXIV. Anno 828.

Ad sacrosanctum Monasterium sancti Dyonisii, quod est constructum super fluvium qui dicitur Isura, in loco nuncupante Peipinpach, ego Fridhere cogitavi primum ob Dei timorem, seu pro peccatis meis minuendis & pro eterna retributione tractavi in animo meo, & tradidi omnia, que habui in loco nuncupante Chumizdorf, ad prefatum Monasterium sancti Dyonisii coram Hittone Episcopo, rura, prata, campos & silvas, aquarumque decursus, mobile & immobile, cultum & incultum, omnia ex integro tradidi ut post obitum meum ibi sit firmiter atque stabiliter in perpetuum delegatum & confirmatum. I. s. t. Tozzi, Gotefrid, Heistolf, Heilker, Wolfcrim, Sigibald, Adalpreht, Reginfrid, /377/ Kagenhart, Trut, Waltilo, Wicco, Sigewart, Anulo Presbyter, hoc fuit factum in VI. Kal. Februar. anno XV. regnante Domino nostro Ludewico Imperatore, indict. quinta.

Num. XXV. Anno 828.

Publice manifestum sit, quod ego quidem Atto Dyaconus dimisi tale predium , quod ad Sentilingas habere visus fui , & ad Monasterium sancti Dyonisii Martyris Christi tradidi in manus Hittonis Episcopi, ut ad ipsam casam Dei post obitum meum & nepotis mei Alprici permaneat: & hoc ipsum Hitto venerabilis Episcopus prestabat in beneficium Alprico, si ille Attoni superstes fieret, & annis singulis censum redderet ad missam S. Martini denarios duos, & post obitum ipsius, sine ullius hominis contradictione, ad ipsam casam Dei permaneat: isti presentes erant qui hoc viderunt: Oudelscalch Comes, Adelpreht, Richpreht , Embrikko, Smelhart, Isker , Hermout, Pezzi, Wicco, Altrich, Mahtuni, Emilo, Gotefrid, Alfrid, Paldrich, Eccebreht, Amalker, Wicco, Wolfbreht. Actum est in loco nuncupato Holze, prope vicum Azzelingen , coram Hittone venerabili Episcopo, in IV. Kal. Aug. ann. Ludewici Imperii sui XV. indict. V.

Num. XXVI. Anno 828.

Dum & omnibus non habetur incognitum, sed multis in hac provincia nobilibus viris constitutis bene cognitum est, quod Meio Presbyter tradidit proprium servum suum, cui nomen Ellanheri, & Rihdrudam ancillam suam cum colonia, quam Vunnaheri habuit in illo loco, que dicitur ad Percke, & quicquid ei in propriam partem de suis fratribus evenit, hoc totum & integrum tradidit atque confirmavit ad Monasterio, que dicitur Sceftilari, ad altare sancti Dyonisii, ut ibidem, sine ullius hominis contradictione, in evo permaneat. Hoc fuit factum coram Hittone /378/ venerabili Episcopo & Herilanto Comite. Hec sunt testes per aures tracti, Herilant, Hitto, Sigiperht, Alprich, Oadalrich, Willipato, Hreidperht, Regindeo, Williheri, Reginperht, Imicho, Waldker, Kotefrid, Deotmar, Wolferim, Immino, Altrich, Mahtuni, Irminheri, Hucco, Fridheri, Liuthart, alius Cotefrid, Fritilo, Alprich, Regindeo, Friddo, Heio, Paldrich, Othelm, Scrot, Pippi, Amalperht, Eigil, Kepahoh, Kaganhart. Actum hoc est ad Sceftilaron in X. Kal. Augusti anno Hludowici Imperatoris XV. indict. V.

Num. XXVII. Anno 828.

*Ille bene possedit res suas, qui ubi de istis caducis rebus
adquirat premia sempiterna. Ideoque in Dei nomine ego
Ihho iterum renovabo traditionem meam, quam feci iam
antea ad S. Dyonisio ad illo Monasterio, qui dicitur
Sceftilares, & modo die presente alia vice ego ipse Ihho &
meos nepotes Hahmunt & Perhtolt communi manu
tradamus totum & integro, quod habere videbamus in
proprium in vico, qui dicitur Puoh, & in illo pago dicto
Sundargavi ad Monasterio S. Dyonisii, qui dicitur
Sceftilares, prope ripa fluvii Isura, donamus atque
firmamus, quicquid ibidem habemus in proprium cum
omni comparato & conquesto, atque conlaborato, hoc est
cum curtiferis, cum Basilica & cum aliis omnibus edificiis,
cum mansis, & cum aliis mancipiis infra
casa manentibus, nisi quinque predimittimus, in silvis, in
agris, in pascuis, in pratis, in aquis, decursibus & in
omnibus terminis ibidem competentibus totum donamus,
tradamus ad ipso supradicto Monasterio, ut post obito
nostro taliter ipso die ibi inventum fuerit, in potestate
ipsius Monasterii permaneat, sine ullius hominis
contradictione, firma, stabilisque omuino traditio nostra
persistat, & censum reddamus annis singulis ad missa
sancti Martini, hoc est denarios IV. Isti sunt testes qui hoc
viderunt & audierunt, Hitto, Irminheri, Cotafrid,
Cotahelm, Rumolt, Engilman, Ernust, Sigimot, /379/
Purcman, Engilperht, Cundpato, Hahkis, Tozi,
Cundheri, Freso, Petto, Sintar, Fizzilo, Pezzi, Sigideo,
Sigiprant, Sigiwart, Engildeo, Wicperht, Heriperht,
Helprich, Kaganhart, Deotheri, Wicco, Reginfrid, Trunt.*

*Actum est hec traditio ad Monasterium Sceftilares coram
Hittone venerabili Episcopo in VII. Kal. Februarias anno
Hludwici Imperii sui XV. indictione V. Ego quoque
Undeo indignus Diaconus scripsi hanc cartulam
traditionis ex iussu Hittonis venerabilis Episcopi.*

Num. XVIII. Anno 931.